Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis ſecundâ Martii.

M. FRANCISCO MAILLARD, Doctore Medico, Præſide.

An noxia Febricitantibus Ova?

UT ægri non quolibet medicamento curantur; ſic non quovis alimento nutriuntur. Quod uni prodeſt affectui, nocet alteri. Aliqui levibus, vehementibus alii, nonnulli mediocribus pharmacis indigent. Hic calidam, ille frigidam expoſtulat eſcam. Alios juvat, alios lædit valentis materiæ cibus. Tot proprietatum radix eadem quæ morborum; varia nempè ſuccorum indoles, qui ſemel vitiati ſimilibus exaſperantur, caſtigantur contrariis. Hinc Febricitantibus non omnia conveniunt. Quæ motos componunt humores, quæ comprimunt alienum calorem, ea ſunt illis ſalutaria; quæ fovent inſolentem ſanguinis efferveſcentiam, quæ cæteros augent incendii febrilis apparatus, ea noxia ſunt & abdicanda.

VEHEMENS & inordinatus ſanguinis motus, febris eſt. Pereunt hoc motu caloris blanditiæ; perit mollities ſuccorum; creſcit in corde peregrinus ignis mali ſemina latè diſperſurus. Hinc quot partes, tot intemperies; quot liquores, tot efferveſcentiæ. Fervoris impetu quoquò versùm diſſilit quidquid tenuius, quidquid acrius eſt in humoribus. Id ſi cutim feriat, rigor indè concitatur; ſi thoracem, tuſſis; ſi cerebrum, capitis dolor. His accedunt ob incandeſcentiam ſanguinis pulſus celer, ſpiritus difficilis; ob macerata calore viſcera linguæ ſiccitas, multa ſitis, pertinax vigilia.

FEBRILIS hæc tempeſtas aſſidua eſt, aut interpolata: certis illa temporibus exacerbatur, vel eodem tenore furit; ſilet hæc aliquandiu modo tertiâ, modo quartâ luce recurſura. Vitioſus ſanguis utriûſque reus eſt: is à chylo vitiatur ſæpiùs, ut chylus à cibo: ſi videlicet alimentum fuerit æſtuoſum, ſi nimis ſulphureum, conſimilis futurus eſt chylus: hic in fervore poſitus tumultuosè movet & incendit cruorem, cui ferè totus admiſcetur. Proindè, Febricitantes offendit quidquid ebullientibus ſuccis addit novum motûs incitamentum: id mali genus accerſunt Ova quovis modo parata.

IGNEUS eſt illis calor ab origine. Præfervidæ ſunt animantes undè producuntur; actuoſiſſima materies ex quâ conflantur. In Ovi candido multùm ſalis eſt volatilis; in luteo multùm ſulphuris. Ut tenues illæ particulæ molem farinæ cum quâ confunduntur Ova, ſubigunt, attollunt; itâ maſſam ſanguinis cui permiſcentur, agitant, diſtendunt. Indè ſanguis vehementer incitatus, Febriles accendit aut alit igniculos. Demùm, ſi turgeant Ova ſucco nimiùm nutriente; ſuccus hic officit Febricitantibus, quos leve juvat alimentum: ſi fervidis ingeſta viſceribus in bilem faceſſant; hæc quoque bilis fomes eſt peregrini caloris: ſi retorreantur & indureſcant ab æſtu ventriculi, velut ab igne focario; ſtatim vitellus flammam concipit, & fit oleum mox exarſuræ Febris irritamentum.

IGITUR dum Febris adurit ægrotantes, iis peſſima ſunt Ova; cibum ſuggerunt nimis robuſtum, nimis æſtuantem. Habes in Ovis undè conciteris ad libidinem; ſed hæc libido quaſi Febris eſt. Eſt in Ovis, & quod uberem provocat ſudorem, & quod externos digerit tumores; ſed hoc, qualecumque ſit, inſolenter etiam commovet ſanguinem, renovatque flammas. Adeò multis Ova conſtant ex partibus mole minimis, motu valentiſſimis: ſi lenta, ſi craſſior aliundè ſit in Ovis materia, ſuos illa ſales continet; ſuo fervet intûs ſulphure.



Ergò noxia Febricitantibus Ova.

Proponebat Lutetiæ JOANNES-FRANCISCUS FOY-VAILLANT, Bellovacenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1690.